

EPILOGUS

Tibi, Iesu Christo, Dei Patris Filio dilecto, qui operaris omne bonum nostrum, omnis laus, omnis gloria, omnis honor, omnis reverentia, qui es 'Alpha et O[mega], principium et finis'¹, qui tuae misericordiae benignitate, tuae pietatis infusione, concessisti mihi indigno ad diu optatum huius operis finem pervenire.

Eia ergo, fratres carissimi, ego omnium vestrum minimus, vester frater et servus, ad vestram consolationem, fidelium aedificationem, in peccatorum meorum remissionem, utcumque hoc opus evangeliorum per anni circulum composui. Unde supplex deprecor et deprecans supplico, ut quando in hoc opere legeritis, mei, vestri fratris, memoriam Deo Dei Filio, qui se Deo Patri obtulit in crucis patibulo, offeratis. Rogo etiam, ut si quid in hoc opere aedificatorium, consolatorium, bene dictum, ordinate compositum inveneritis, ipsi beato et benedicto Iesu Christo, Dei Filio, omnem laudem, omnem gloriam, omnem honorem referatis. Si quid vero incompositum, insipidum, minus bene dictum inveneritis, meae miseriae, meae caecitati, meae insipientiae imputetis. Et quidquid in hoc volumine inventum fuerit ad radendum, corrigendum, limae discretionis sapientum Ordinis committo clarificandum et emendandum.

Laus Patri invisibili, laus sit Sancto Spiritui, laus Iesu Christo Filio, caeli et terrae Domino. Amen. A[lpha] et O[mega]. Sit gloria, sit honor et reverentia, sit laus et benedictio sine fine principio. Amen.²

¹ Cf. Apoc 1,8; 22,13.

² Cf. CARLO PAOLAZZI, *Antonio cita Francesco: l'Epilogo dei "Sermones dominicales" e "Regula non bullata" XVII*, «Il Santo», XXXVI (1996), 3, pp. 445-455. In questo studio, l'autore evidenzia un "reticolo di riscontri letterali" che rivelano una dipendenza non causale e un riferimento testuale dell'Epilogo dei Sermoni domenicali di Antonio dalla "Regola non bullata", c. 17. L'analisi è condotta attraverso un confronto di lemmi e contesti lessicali paralleli, come *deprecor, ergo fratres, minimus vester frater et servus, vester servus et parvulus, omnis reverentia, laus, gloria, honor, "A(lpha) et O(mega)"*, presenti anche nelle molteplici dossologie dei Sermoni, a partire da serie lessicali parallele mutate dall'Apocalisse. Una fonte e un linguaggio comuni che costituiscono la migliore testimonianza dell'assimilazione dello spirito di Francesco, da parte di Antonio, "*Francisci patris aemulus...*" (GIULIANO DA SPIRA, *Officio ritmico*, Inno dei 1 Vesper, II).